



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Obseruationum superstitionis potest esse quadruplex.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

In actu colendi Deum, quantum est ex natura actus.  
Quamuis enim ex intentione offerentium non fiat  
machinatio contra diuinam reuerentiam, sed ad lu-  
crum vel aliquid huiusmodi: ex natura tamen operis  
contra diuinam agitur reuerentiam. Sicut enim in  
periurio inducitur ex natura actus Deus, quasi testis  
falsitatis, quamuis perjurans non credat Deum testi-  
ficiari falsum, nec intendat quod Deus attestatur (quia  
attestatur contra ipsum periurum) ita hic supersti-  
tiosus vtitur Deo tanquam colendo falsitate seu fal-  
so cultu, quantum est ex natura cultus: quamuis sciat  
quod Deo non placet, nec intentat Deum, sed homi-  
nes fallere. Et propterea sicut ibi est peccatum mor-  
tale ex suo genere: ita & hic.

Supersticio autem diuinum cultum indebitum  
quia superfluum exhibens, si contemptus & scanda-  
lum defigit, peccatum est communiter veniale: quia non  
contra, sed præter diuinam reuerentiam hoc est. Et  
appellatur cultus superflius secundum se quicquid in  
eo sit non ordinatum ad interiorem cultum qui est  
cultus spiritus. Vnde actiones aut iucunditates qua  
solum ad exteriora utiles essent, ad superfluum cul-  
tum spectant. Secundum vero statuta Ecclesiastica  
quicquid in eo dicitur aut sit supra rubricas seu sta-  
tuta: ut si dicatur bis alleluia ubi semel scriptum est:  
& si sit in Missa crucis signum ubi non mandatur  
sieri: & si plures acolythi aut cantores quam conve-  
num sit, parentur.

*Observationum supersticio potest esse  
quadruplex.*

Supersticio autem observationum quadruplicem  
partita est. Et prima est supersticio observationum  
artis notioræ: qua certa ieunia & orationes  
hunc secundum instituta illius artis ad acquirendum

K k 3      Scien-

Scientia per infusionem. Et haec supersticio est peccatum mortale propter initam societatem cum dæmoni, de cuius institutione haec seruantur, & iniuriantur: quia dæmonum non est infundere scientiam animabus nostris. Secunda est supersticio observationum, utendo lapidibus, herbis, signis, animalibus, imaginibus, carminibus, ritibus ad faciendum aliquid: puta sanandum dolorem capitis, curandum cabalium, sistendum sanguinem, medendum vulnus &c. Et de hac dictum est superius quum de incantatione dictum est, vide ibi. Tertia est supersticio observationum ex praesagiis futurorum bonorum vel malorum conceptis propter incidentia: ut si iterumate contingit surgentem, redire ad lectum: & offendere ante hostium exeuntem, redire domum: & sic de infinitis huiusmodi vanitatibus. Et si haec quidem siant aut vitentur: ut communiter videtur fieri quia scilicet timent homines significari aliquid mali ex nescio qua causa, peccatum veniale communiter viderur: quia licet appareat multa horum ad gentilitatis superstitiones olim spectasse, quia tamen nunc non ut instituta religionis haec sumuntur, sed tanquam quasi experta aut solita ex maiorum traditione haec habentur, inter alias hominum vanitates computanda haec sunt: & tolerari possunt, quum nulla adest comes sinistra intentio. Et scias quod potest homo quandoque absque omni peccato ex aliquo praesagio cauere prudenter ab imminentibus, dubitando ne praesens occursum sit signum futuri, ex communione triusque causa coelesti, vel etiam diuina prouidetia, sicut de somniorum observatione & divinatione dictum est: ut si quis cadens corporaliter timeat aliquem casum sibi futurum in statu vel honore &c. propterea tamen non desistat ab operibus prudenter agendis, sed cautus vigilet &c. potest enim esse ut iste casus

sus

Nus effectus sit causa futuri casus, & propterea significat illum. Quarta superstitione est obseruationum in verbis, aut rebus sacris portandis, dicendis, vtendis, adiunctis aliquibus conditionibus non malis quarum ratio nescitur: ut patientes spasmodum neruorum, primo carlino oblato Christi cruci in parasceue vntur pro remedio, conficto ex illo annulo: & sic de similibus. Quantum enim appareret, in huiusmodi superstitione interuenit: quoniam vanæ conditions apparent. Si tamen ex mera deuotione fiant, & non nisi à Deo intendant & expectent effectum putantes Deum inspirasse alicui sancto viro huiusmodi conditiones, non audeo damnare, sed tolerabile mihi videtur.

*Suspensio à diuinis officijs non semper est peccatum, sed poena peccati vel alicuius vitij.*

**S**uspensio vna ex censuris Ecclesiasticis (qua homo à iure seu à iudice excluditur ab exequutione ordinis vel officii Ecclesiastici) poena est, non culpa: incurritur tamen communiter propter culpam. Non oportet autem peccare mortaliter ad hoc vt incurri suspensio, sed potest ex solo veniali peccato incurri suspensio. Quid ex eo patet, quod excommunicatione minor potest incurri ex solo veniali peccato. Constat autem excommunicationem in rem à maximis excludere scilicet susceptione sacramentorum omnium, quæ sunt maxima bona spiritualia & maximè necessaria ad humanam salutem, &c. Suspensio igitur ab exequutione ordinis vel beneficii, vel ab ingressu Ecclesiae, vel à solennitate diuinorum, vel ab omnibus his & similibus excludens, non est tantæ malignitatis ut supponat vel